

qua nihil dulcius mortalibus esse soleat, imbuiere. Cessit facile ejusmodi monitionibus Philippus. Et quia nec accepturus erat conditiones quas sciebat sibi propositum iri, nec palam aspernaturus, ne civium animos a se ingrato responso alienaret, per internuncium mandavit iis, qui cum publico decreto ad se veniebant, ut ad Joannem Ricium omnia quæ secum acturi essent, deferrent. Ea res effecit, ut pristina illa Mediolanensium studia paulatim resederint, atque eo civium fervore sese remittente, actio prorsus antiquata sit. Philippus vero haud desperans fore, quin oblatam sibi ultro pecuniam, si non sponte, ingenio & arte suis esset civibus expressurus, bellum reparare adortus, primo arces & castella ex fœdere nuper icto, redi vetat, inde in Mantuanum agrum subita excursione erumpit.

*Philippus, fœdere fracto, bellum reparat.*

Veneti, ubi ex pontificii Legati literis cognovere, Philippi animum ad arma spectare, non mediocri ira perciti, bellum accuratius eo quod omiserant & ipsi jam reparare occæperant. Verum, quia non parvam copiarum partem interim quum de pace ageretur, exauctoratam dimiserant, undique novum militem diligenti cura accersere. Affertur interim, hostem in Mantuanum agrum tumultuose erupisse. Cujus rei indignitate animis adhuc magis irritatis, fit continuo Senatusconsultum de bello adversus Philippum summa ope reparando. Revocantur itaque in pristinum fœdus Florentini primo, qui etsi longo bello fessi pacem magnopere optabant, tamen ex fœdere arma denuo capiunt. Amadeus Allobrogum Dux, qui priore bello nihil ferme dignum memoria gesserat, pollicitus intentius deinceps se gerendis rebus incubiturum, in belli socium & ipse est ascriptus. Secuti nova fœdera Monferratenfis Marchio, Rolandus Palvicinus, qui plura ea tempestate oppida in Cisalpina Gallia habebat. Genueses extorres, quanquam Alphonsi Regis auxilio destituti, nil mari per se amplius moliri poterant, in littorali tamen ora impigre se rem gesturos ex fœdere promissere. Philippus etsi tot bella uno tempore in se parari vi-

*Veneti, renovato cum Florentinis fœdere, bellum & ipsi reparant.*